

Praeposito Zagrabiensi, Magnificus Petrus Rathkai, Gregorius Pettheö, Stephanus Gereczy et Nicolaus Megiurechky.

Quantum vero ad subsidium Regni pro praemissa Nova erectione Pethrinensi attinet, iidem Status ac Ordines prout antea sic et nunc quoque (cum pecunia parata auxilio esse non possint) laboratores pro modulo facultatum suarum administrabunt.

Interim ad Pethrinenses Indagines deputantur Commitatum Zagrabiensis et Crisiensis (extra processum Pomper, qui Drauae aduigilabit) illi omnes processus, qui pro hoc anno laboratores non administrarunt.

Ad reaedificationem vero Fortalitij Pleter deputantur bona Castri Selin.

Ad Fortificationem similiter Episcopalis praesidij Pokupzki deputantur bona eiusdem Episcopatus Zagrabiensis.

Pro revisione autem Colapianorum Confiniorum et Conscriptione ac Inventatione munitionum, in eisdem existentium, expediuntur Egregij Nicolaus Tompa et alter Nicolaus Megiurechky.

Praeterea ad custodienda Vada Drauana, deputantur Ducenti Haramiae Regni, quos Dominus Capitaneus Regni eodem cum Sufficiente Vicegerente suo ablegabit; quibus quidem peditibus Exactores statim Stipendium numerabunt.

Tempore uero ingruentis necessitatis alicuius (quod Deus auertat) Vniuersi Status ac Ordines Regni, ad requisitionem praemissorum Dominorum Commissariorum, non obstante vnus vel alterius absentia, iuxta priorem limitationem Regnicolarum, personaliter insurgere, et penes alterum ipsorum militare, sub poena in eisdem Articulis constituta, teneantur.

Et quia plurimi regnicolarum Contributionem Regni hactenus administrare ad destinatos terminos neglexerunt, Ideo Statutum est: Vt omnes Ordines Regni praemissas Contributiones praecedentis anni, usque ad festum Beati Nicolai Confessoris et Episcopi, Exactoribus soluant; Alioquin Contumaces, elapso ipso festo, per Iudium, penes extradatas praeceptorias Regni, in duplo, ad Regni necessitatem convertendo, uadientur.

Praeterea cum hactenus Capitaneus Regni nullos Exploratores habuerit, sine quibus Confinia persistere haud possunt: ideo ad intertentionem eorum deputantur ex Dacio Regni ad singulos Annos, Centum floreni Renenses.

Quod quidem Dacium Regni cum omnino utile Statibus ac Ordinibus videatur, in Comitatu autem Zagrabiensi discordiae sint inter Exactores, Laurentium videlicet Drenoczy et Georgium Mattuz: ideo, ex quo Drenocium iidem Status ac Ordines Regni constituerint in Exactorem, eundem modo etiam in praemisso Officio confirmant. A Georgio vero Matuz exigent rationes Reverendus Dominus Praepositus Zagrabiensis Thomas Mykulych, Gregorius Sugnetich et Michael Vernich, qui deinceps a praemissa Exactione cessabit.

Interea Camera nomine Regni requirenda erit, de faciliiori modo Exactionis praemissi Dacij, medio Tricesimatorum.

Articulus de liquidis debitis editum Status ac Ordines, propter plurimos excessus, sic intelligere deinceps volunt, ut posthac prius Appelatio transmittatur in Sedem Iudiciariam Comitatus et reuideatur, postea executio subsequatur.

Pro expensis Viennensibus Caspari Barilovych, Nonaginta quinque floreni hungaricales deputantur ex Contributione Regni, per unum florenum ex bonis